ADM. REV. P.

# F. LUCII FERRARIS

Soler-Alexandrini, Ordinis Minor. Regul. Observ. S. P. Francisci, Lectoris Jubilati, Exprovincial. Examin. Synodalis, ac S. O. Consultoris

# PROMPTA BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA

*NEC NON*

ASCETICA, POLEMICA, RUBRICISTICA, HISTORICA

*De Principalioribus, & fere Omnibus, quæ in dies occurrunt, nec passer omnes facile, ac prompte reperiri possunt,*

EX UTROQUE JURE, PONTIFICIIS CONSTITUTIONIBUS, CONCILIIS, SACRARUM CONGREGATIONUM DECRETIS, SACRÆ ROMANÆ ROTÆ DECISIONIBUS, AC PROBATISSIMIS ET SELECTISSIMIS AUCTORIBUS

Accurate collecta, adaucta, in unum redacta, & ordine alphabetico congesta,

AC IN OCTO TOMOS DISTRIBUTA.

*Editio Novissima cæteris omnibus castigatior, & locupletior, adjecto nunc primum Indice Materiarum absolutissimo.*

## TOMUS SEXTUS.

P—R

VENETIIS,
Apud GASPAREM STORTI
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*
MDCCLXXII.

H49.1676



14 Immo Romani Pontificis excellentia, & potestas, nedum est circa Cœlestia, Terrestria, & Infernalia, sed etiam super Angelos, quorum ipse major est. *Cit. Annotat. 1. ad decis. 2. part.*
15 *3. Rotæ Romanæ recent.* §. 5. n. 24. Ita ut si foret possibile, quod Angeli errarent in Fide, vel contra Fidem sentirent, per Papam judicari, & excommunicari possent, *cit. Annotat. 1. ad decis. 2. Rotæ Romanæ recent.* §. 5. n. 24.

16 Tantæ enim est Dignitatis, & potestatis, ut faciat unum, & idem Tribunal cum Christo, ut per textum in c. *Quanto 3. de translatione Episcopi* tenent passim Doctores adducti *in cit. Annot. 1. n. 68. ad decis. 2. p. 3.*
17 *Rotæ recent.* Adeo ut quidquid facit Papa, ab ore Dei videatur procedere, ut post plurimos Doctores, ratiocinatur Rota *in Forosempronien. & Eugubina, seu Nullitat. Emphyteusis 16. Junii 1636. coram Coccino* §. *Hinc infertur, vers. Ita ut, quod fit a Papa, ab ore Dei videtur procedere, cit. Annot. 1. ad decis. 2.* §. 5. n. 31. *part. 3. Rotæ recent.*

18 Deveniendo igitur ad Papæ auctoritatem; Papa est quasi Deus in Terra, unicus Christifidelium Princeps, Regum omnium Rex maximus; plenitudinem potestatis continens, cui Terreni simul, ac Cœlestis Imperii Gubernacula ab Omnipotenti Deo credita sunt, prout clare habetur *in cap. Omnes 1. dist. 22.* ibi: *Qui* (scilicet Christus) *æternæ vitæ Clavigero Terreni simul, & Cœlestis Imperii Jura commisit; & in Extravagant. Joannis XXII. cap. Si Fratrum unic. Ne Sede vacante, aliquid innovetur. Et in alia celebri Extravagant. Bonifacii VIII. cap. Unam Sanctam Catholicam, de majorit. & obed. inter Communes.*

Congruunt ulterius quo ad Papæ summam 19
auctoritatem, & potestatem textus Juris Cæsarei, nempe *in l. Reddentes honorem, Cod. de Summa Trinitate, & Fide Catholica, l. Bene a Zenone, cod. De quadriennali præscriptione, l. Omnes dies, cod. de Feriis, & Authent. de Monachis* §. *Si vero relinquens, Authentic. de Ecclesiasticis titul.* §. 1. *collat.* 9. cum similibus.

Non minus Summam Papæ auctoritatem, 20
& honestatem extollunt Rescripta, & dogmata variorum aliorum Imperatorum; nempe Valentiniani, Othonis, Caroli Magni, Constantini &c. quæ ex eorum Constitutionibus refert Gratianus *in c. In memoriam 3. dist. 19.* ibi: *Per Legatos Apostolicam interpellat sublimitatem, ut potissimum sua sancta Legatione dignetur donare &c.* & in Summario expresse dicitur: *Tollerandum est jugum, quod a Sancta Sede imponitur, licet intollerabile videatur, cap. Valentinianus 3. dist. 63.* ibi: *Nos, qui gubernamus* 21
*Imperium, Pontificibus sicuti capite nostro submittimus; cap. Tibi Domino Joanni Papæ 33. eod. dist. 63.* ibi; *Sanctam Romanam Ecclesiam & Te Rectorem ipsius exaltabo; cap. Constantinus 14. dist. 96.* ibi: *Ut sicut Beatus Petrus in terris Vicarius Filii Dei fuit constitutus, ita & Pontifices ejus Successores in terris principatus potestatem amplius, quam terrena Imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur.*

Magis, magisque supremam Papæ auctorita- 22
tem, potestatemque extollunt plurimi Sacri Canones, & ibi Canonistæ communiter, & quamvis *unius coronamenti, & Romæ coronatus*, & Sagonius describit: *Capiti ejus* (Innocentius VI.) *phrygium ornamentum Imperiale instar galeæ circulo aureo coronatum imponunt*. Circa ea, quæ de triplici Papæ regno, deque potestate in Sanctos Angelos, quorum ipse sit major, Author recenset, consulendi sunt Theologi: Quæ enim ex Jurisconsultis ipse refert, eruditis Theologis suspecta, & quandoque etiam ridicula habentur. Capiti enim, ac visibili Ecclesiæ Principi, non alii sane quam visibiles subditi, Fideles scilicet homines designari videntur, atque in hos tantum solvendi, ligandique potestatem exercet, eos scilicet regendo, absolvendo, vel per censuras ligando dum vivunt, & per indulgentias juvando vita functos.

*Responsio Authoris.*

Mirandum, quod *Theologus* noster sic parvipendat jurisconsultos; et quæ ipsi tradiderint, eruditis Theologis suspecta, & quandoque etiam ridicula haberi pronunciet! Nonne Clarissimi Jurisconsulti sunt etiam sæpe eruditi Theologi? Talis certe fuit celeberrimus Pastor Rubeus, qui in cit. annotat. ad decis. 1. part. 3. recentior. Sac. R. Rotæ innumeros allegat pro suis conclusionibus Theologos, ac in matris etiam SS. Patres. Et si talis non fuisset, saltem illud supremum Tribunal nequaquam permisisset, quod suis decisionibus adnecterentur Rubei eruditissimæ annotationes. Legant itaque eruditi omnes dicti sapientissimi jurisconsulti Annotationes ad decis. 2. part. 3. Sac. Rom. Rotæ recentior. & judicium ferant.